



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Ad Epistolam Ad Proceres Palatii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657

AD EPISTOLAM

AD PROCERES PALATII.

HILDVINO SACRI PALATII ANTISTITI] Id est, Archicapellano, vel Summo Capellano, quo modo vocatur in Praecepto Ludovici Pij pro Hildebaldo Episcopo Matronensi, quod extat in Biblioteca Cluniacensi. Habant enim Principes nostri in Palatio suo quempiam ecclesiastici ordinis virum, qui ceteris premineret, dictum ob hoc sacri Palatij antistitem; vel sacri Palatij Archiepiscopum, si Episcopus esset. Sic Hildeboldus Colonensis Archiepiscopus vocatur *sacri Palatij Archiepiscopus* in Praefatione Concilij apud Moguntiam habiti anno DCCCXIIII. is ipse nimurum Hildeboldus quem in Palatio suo habere post Angilramnum cupiit Karolus Magnus, ut patet ex canonе LVI. Concilij Francofurtiensis. Antistitem ergo sacri Palatij Hilduinum vocat, quod summus esset Capellanus. candemque ob causam Lupus Ferrarensis hunc ipsum Hilduinum in epistola cx. vocat Ecclesiasticorum Magistrum. Nam Abbates, si rerum summam tenerent, prælatos olim fuisse Episcopis, etiam in synodis, jam antea adnotavimus ad Concilium Vernense. Neque id adeo vetus est, quin & Sugerij quoque ævo in usu fuerit; ut pater ex vita ejus cap. II.

VVALÆ ABBATI] Corbeiensi in diœcesi Ambianensi, uti diximus ad librum de baptismo Iudaïcum mancipiorum.

CHRISTIANISSIMI IMPERATORIS] Ludovici Pij.

VNV M SEMPER] id est, Hilduinum. Nam istum necesse erat residere in Palatio, propter causas ecclesiasticas. Vide quæ de munere Archicapellani diximus ad Lupum Ferrareensem.

ALTERVM FREQUENTER] id est, Vvalam, quo plurimum utebarur Ludovicus in administranda republica, ut patet ex Paschasio Radberto in vita Adalhardi.

VT M A N C I P I V M I V D A I C V M] Optime
Jure excandescit Agobardus adversus Præceptum illud,
quod erat contrarium vetustis canonibus & legibus
Principum. Nam etiam in nostra Gallia Concilium pri-
mum Matisconense servis potestatem fecerat suscipien-
di baptismum, etiam invitis dominis. Et Constantinus
Aug. ad Felicem P. P. sribens, Iudeis in universum
permisit Christianam religionem amplecti, vetuitque
ne propter hoc facinus quicquam à Iudeis inquietu-
nis vel molestiæ patiatur is qui Christo nomen dederit.
Itaque probabile Agobardo visum non est, Præceptum
illud a Ludovico Imperatore, qui Pius per antonomasi-
am dictus est, editum fuisse, quo manifesta contum-
lia irrogabatur nomini Christiano.

I N T E R . H O M . A D I M A G I N E M S V A M]
Agobardus ergo similitudinem Dei quæ est in homine,
constituit in anima, non autem in corpore. Vide No-
tas ad epistolam x x x. Lupi Ferrariensis & ad librum
de tribus quæstionibus pag. 471. Alia fuere Iudeorum de-
liramenta, qui corpus humanum ad imaginem Dei factū
putabant, ut Agobardus scribit in libro de Iudaicis super-
stitionibus cap. x. Quo loco Massonius adnotavit in mar-
gine, hæc Iudeorum fragmenta in Cabala quoque legi.

M A G I S T E R . I N F . I V D A I C O R V M] Evrardus.
Vide suprà in Notis ad librum de baptismo Iudeorum
mancipiorum.

M I S S O S D E P A L A T I O] id est, Missos Do-
minicos.

P V B L I C E S V P P L I C A T V R] nimurum pro
Iudeis, pro quorum conversione singulis annis orat
Ecclesia in diebus Passionis Dominicæ, ut ait Agobardus,
id est, feriâ quartâ majoris hebdomadæ. Extat
enim oratio quæ tum temporis publicè à sacerdotibus
in Ecclesia recitatur pro hac causa. Rhabanus in libro
contra Iudeos cap. i v. loquens de Iudeis: Immo &
pejores hereticis; sicut eos Ecclesia catholica esse iudicat,
que in diebus Dominicæ Passionis post hereticos, & schi-
maticos, & prope paganos, pro eis orat. Item cap. l i x.
Immo eorum veram salutem, pro qua Ecclesia sollemniter
orare consuevit, veraciter inquirentes, servemus erga eam
ecclesiasticam sinceritatem.